



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Basilea Sacra Sive Episcopatus Et Episcoporum Basileensium Origo Ac Series

Sudan, Claudius

Brvntrvti, 1658

33. Berchtoldus I. seu Bertolfus, Comes Neoburgensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11463**

BERCHTOLDVS

S E V

BERTOLFVS I.

Comes Neoburgensis.

*Basileensis Episcopus.*

*XXXIII.*

Anno  
Christi  
1123.

**A**Dvocatia, sive jus Patroni in mo-  
nasterium S. Blasij penes Episco-  
pos Basileenses annis amplius, cen-  
tum fuerat, donec tandem, cum  
Berchtoldi Episcopi nomine consti-  
tutus illic Præfectus Adelgotius de  
Verr, ( ut eum vocat Vrstifius )  
omnia pro lubitu contra jus, &  
fas, ipsaque clara Monasterij privile-  
gia ageret, Rustenus Abbas anno  
1124. apud Henricum V. de tantæ rei  
indignitate, gravi oratione, ipsomet  
præsente Berchtoldo, conquestus,  
id evicit, ut, circa Natalitias ferias,  
hac super re collatis capitibus, Im-  
perij

Anno 192  
Christi  
1125.

*Basileensium*

perij optimates Argentorati, ubi rationes utrimque audivissent, decernerent, liberum fore Abbati cum suis, deligere, quem vellent, qui, salvis Monasterij privilegiis, jus advocatiæ seu Protectoris administraret. Ad quod officij genus electus subinde Conradus à Zeringen Berchtoldi filius: ipso Episcopo Berchtoldo subscribente diplomati Henrici V. Argentinæ, anno 1125. Videri potest Guillimannus in Brunone 46. Episcopo Argentinensi. Stumpfius aliter de Berchtoldi ætate sentit, aitque, illum dignitate Episcopi fulsisse Henrico V. & Lothario II. Imp. Calixto I. & Henrico II. Pont.

Huc spectare videtur origo celeberrimorum Monasteriorum Beinwilæ & Lucellæ, quam referre more nostro breviter, placet. Annales Eceremi testantur anno 1124. Comites à Thierstein & Sogern in Iurasslo monte

monte condidisse Monasterium S. Vincentij, Beinvvylam, vulgò dictum, ordinis S. Benedicti. In literis, quibus anno 1152. Fridericus Barbarossa Vlmæ donationem confirmavit, nominantur fundatores Nortgerus, Oudelardus, Burckardus, & Vlricus, anno 1240. Comitibus à Thierstein Advocatia, sive Patrocinium huius Monasterij, ab Imperio in feudum permissum est. Anno 1125. ætate S. Bernardi, novi Mundo syderis, cum ipsis propè Cistertientis ordinis initiis, cœptum est Lucelense Monasterium, facultates suas ad sanctum opus conferentibus Hugone à Camill, Amedeo à novo Castro, Richardo à monte Falconis, viris in superiore Burgundia sanguine illustribus: petitâ prius, ut par erat, & impetratâ facultate, ac annutu ab Archiepiscopo Bisuntino Anserico, & Bertolpho Basileensi Episcopo,

Anno  
Christi  
1125.

N

eo

Anno  
Christi  
1125.

eo loco templum & Cœnobium extruendi. Confirmationis litteræ traditæ sunt Christiano Abbati secundo, anno 1136. eo pacto & conditione, ut Ecclesiæ Basileensi quotannis in accepti beneficij testimonium, ceræ pondo offerret monasterium. Quam rem & ipse Conradus II. Imperator probavit Argentorati, anno 1139. Eugenius item II l. Papa Divione anno 1147. Patronos monasterij postea fuisse Comites Pfirtenses tradit Vrstif. lib. 1. c. 4.

Anno 1125. Henricus IV. Imperator montem Angelorum, seu Engelbergam, monasterium apud Silvanos, in Imperij tutelam suscepit Argentinæ. V. Cal. Ian. adhibitis in testes Anserico Bisuntino Archiepiscopo, Geroldo Laufannensi, & Berchtoldo Basileensi Episcopis.

*ADAL.*